

A dum animati sunt reprobi erga iustos: sed nihil est, unde mouere, vel terreare. Nam omnis impiorum conatus aduersus iustum, irritus est & vanus: imò non solum irritus & vanus, sed & exitiosus illis. Nam Dominus irridet eos, quoniam prospicit appropiantem diem eorum. Quin ita illos punit, ut exitium quod iustis intentant, conuertat in seiplos.

Sunt qui per *gladium* exponant, apertam impugnationem & manifestas impiorum furias aduersus iustum: per *arcum* verò *directum* & *intentum*, occultas insidias, iuxta illud Psalmi 11. Ecce peccatores intenderunt arcum: parauerunt sagittas suas, ut sagittent in abscondito rektos corde. Quamquam omnino verum est, quod impij viroque modo, primùm scilicet per insidias, postremò per apertam sæuitiam: vel si in initio nihil promouerint sæuendo, tum demum occultis & astutis machinationibus, iustum perdere conantur. Mihi tamen in hoc loco magis videtur hoc agi, ut declaratur quàm sint frustranei impiorum conatus, aduersus rektos corde, etiam tum quando iam iam illos oppressuri & extincturi videntur: id quod per *exertum gladium*, & *intentum arcum* signare voluit Propheta.

Primùm in eo quòd non dicit, *Cogitat iste impius aduersus iustum* vel *aduersus hunc iustum*: sed simpliciter sine omni notificatione, in genere, *Cogitat impius aduersus iustum*, *frendit super eum dentibus suis*, &c. proponitur nobis perpetuum hoc esse & constans impiorum ingenium, ut iustos summo odio persequantur. Et vsque adeò est hoc ingenij commune omnibus impijs, ut nulla sit cognatio, nulla ne naturalis quidem & veterina necessitudo, per quam impediatur id quod videre est in Abel & Cain, Ismaël & Isaac, Esau & Jacob, quos exempli vice commemoro, quemadmodum & Apostolus in exemplo Isaac & Ismaël, Galatas quarto declarat. Causa odij istius duplex est: interna vna, externa altera. Interna est, cuius meminit Apostolus loco prædicto, nempe corruptio carnis, deprauatio ingenij. unde est imparitas & dissimilitudo morum, quæ gignit odium & inimicitiam: ita ut qui ex carne est, persequatur eum qui est ex spiritu. Vt enim caro concupiscit aduersus spiritum, in vno & eodem homine, ita planè & in diuersis. Sic Sap. 2. dicunt impij: Circumueniamus iustum, &c. Est enim contrarius operibus nostris. Item: Grauis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est alijs vita illius, & immutatae sunt viæ illius. Item: Et abstinet se à vijs nostris tanquam ab inimicis. Externa odij & persecutionis causa est actus Satanæ peculiaris, quo impelluntur impij. Nam Satanæ bellum est cum iustis, ut cum illis qui ad Deum pertinent, cuius ipse est hostis & aduersarius. Ita 2 Timoth. 2. dat Apostolus diabolo, quòd impios veritati resistentes, captiuos teneat ad suam voluptatem. Et illorum gratia dictus est princeps huius Mundi à Christo, & ab Apostolo. 2. Corin. 4. Deus huius seculi. Itaq; cum hoc ita habeat, duraueritq; ab initio Mundi ad hæc vsq; nostra tempora: non est sperandum, impijs fore aliud ingenium etiam erga nos, si veritati constanter adhaerimus.

OBS. 1.
Vers. 12.

B hæserimus. Secundo loco, vbi dicit: *Frendit super eum dentibus suis*: notanda est differentia inter pios & impios. Vt uenit aliquando, ut & pij qui in magistratu sunt, persequantur impios (ut videre est Psalmo 18. *Persequar illos, inquit, &c.*) & occidant etiam. Verùm non est vindictæ cupiditate, & animi furore, quomodo solent impij, qui omnino sæuiunt in iustos, ita ut nunquam satis conceptum odium explere queant. Illis scilicet datur frendor dentium, non iustis. Vide Act. 7. in occisione Stephani.

OBS. 2.
Vers. 15.

Tertiò loco notanda sunt in his versibus de impiorum conatibus, tria: quæ ad hoc faciunt, ut illorum gratia nemo pius terreri, nec vllam vindictæ cupidinem in animum suum aduersus illos sumere, sed magis securus esse, & commiseratione erga illos moueri debeat, quàm ut eos vel metuat, vel odio persequatur.

OBS. 3.

Quæ sunt illa? Primum est anxietas illa cogitationum, quas corde volutant noctes ac dies, viam querentes qua perdant iustos. Illa notatur primùm in verbo *מַחְשָׁבֹת*, quod est *astute & malitiose cogitare*: deinde & in *frendore dentium*, signo videlicet odij maximi. Iam nullum tormentum odio maius est. Alterum est, quòd omnis illorù conatus vanus est & irritus. Ideo dicit: *Dominus irridet eos*. Ita & Psalm. 2. An non est miserum, omnia cum summo dolore frustra conari? Irrisionis anthropopathia Propheta indicat, impios conari impossibilia, iuxta illud: *Cogitauerunt consilia, quæ non poterunt stabilire*. Tertium est, quòd non solum irriti sunt impiorum conatus, sed & tales qui desinant in perniciem authorum. iuxta illud: *Malum consilium consultori pessimum*. Hoc in eo declaratur, quòd dicit: *Gladius eorum intrabit cor ipsorum*. Hac de re vide supra Psal. 7.

OBS. 4.
Vers. 13.

Summa iustorum consolatio in eo est, quòd Propheta Dominum cogitationes impiorum irridere dicit. Si irridet, signum est quòd eas obseruat. Bene ergo nobis, quòd Dominus non ignorat cogitationes impiorum. Deinde & ipsa irrisionis causa plurimam consolationem adfert. Quæ illa? Quòd scilicet impossibilia conantes irridet. Quare impossibilia, cum sint potentes in hoc seculo, contra iusti imbecilles? Ideo scilicet, quòd cum Dominus sit, cum est pro iustis, necesse irritum est quicquid illis mali intentatur. Rideamus ergo & nos impios cum Domino: & nihil dubitemus, irrisioni olim exponendos, qui iam à Domino irridentur.

Rom. 8.

Quoniam prospicit, quòd veniat dies eius. 1. Diem esse constitutum, certum & fixum, quo pereundum est impijs. 2. Illum non tardare, sed aduentare, esse velut in itinere. Sic supra: *Mox peribunt*. Quia venit. Quando? Quando iam videntur perdituri pios ac iustos.

OBS. 5.

18. *Melius est modicum iusto, magis quàm multa impiorum copia.*

17. *Quoniam brachia impiorum conterentur, sustentat autem iustos Dominus.*

18. *Nouit Dominus dies integrorum, & hereditas eorum in aeternum erit.*

19. *Non pudefient in tempore malo, & in diebus famis saturabuntur.*

20 2. Quo-